

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

epist. 47. *Caesar*, inquit, *adest*. antecedit. *Aliquid iam noctes te*
illam vero scriptam Sextili mense, adiunabunt, scripsit ad Sulpicium
agnoscitur ex ea, quae proxima lib. 4. epist. 4.

EPISTOLAE XXVI.

ARGUMENTVM.

Scribit se in morbum incidisse, quia suauiter conditas herbas parum caute comedisset: sibi tamen iam esse melius, et mansurum in Tusculano, quoad se reficiat. Scripta videtur epistola eo anno, quo P. Lentulus et Q. Metellus Nepos consulatum gessere. nam Lentuli filium, cuius auguris cena hic nominatur, eo anno augurem creatum, orat. pro Sextio c. 69. declarat his verbis: Video P. Lentulum, cuius ego patrem, deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei, et fratris, rerumque nostrarum, in hoc misero squalore et sordibus: cui superior annus idem, et virilem patris, et praetextam, populi iudicio, togam dederit.

EXPLANATIO.

Ex intestinis] Aluo profluente, dolor interdum fit in intestinis. *Mea opera]* In forensibus causis. *Probarem]* Persuaderem.

Feb. in] Febrim, tussim, sitim accusatiuo in *im* exire, cetera vero omnia in *em*, scripsit Plinius in libro de dubio sermone: si Carisio credimus, quod equidem miror, nam, hanc regulam non valere exemplo Virgilii admonemur lib. 2. Aen. v. 460. dicentis: *Turrim in praecipiti stantem, non turrem.*

Tuum officium] Ut me viseres.

Abs te requiri] Questus erat Gallus, Ciceronem officio desuisse, quod ipse ab eo expectasset.

Tum quod Epicurum] Non dubito, quin *quo*, rectius legatur, quam *quod*. Timet omnes morbos, sed eum maxime, quo laborantem Epicurum Stoici vituperabant, quia diceret angī se vesicae viscerumque doloribus. Epicuri verba lib. 2. de Fin. c. 30. recitantur ex eius epi-

stola ad Idomeneum. *Tanti autem morbi adeant vesicae, et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere.* Δυσχερὴν πᾶσιν, stranguriam Graeco verbo; δυσπεπτικὴν, tormina Cicero vocat Tusc. 2. c. 19. de Epicuro loquens.

Sibi molesta esse] Cum ipsi dolorem non esse malum dicerent: quod si non malum, cur molestum? Epicurus tamen illa quidem sibi esse molesta, nec tamen vinci se dolore, aut succumbere dicebat. itaque deridens eum Cicero Tusc. 2. c. 19. *forticulum*, inquit, *se in torminibus, et in stranguria sua praebeat.* Et in eadem c. 7. Epicurus ea dicit, ut mihi quidem risus capere videatur. affirmat enim quodam loco, si, *vratur sapiens, si crucietur: expectas fortasse, dum dicat, patietur, perferet, non succumbet.* — In Phalaridis tauro si erit, *dicet, quam suauē est hoc! quam hoc non curo!* Ergo, se quidem sentire vim doloris, aiebat Epicu-

Epicurus, nec tamen succumbere, et ex memoria suorum institutorum consolationem capere. Cur igitur, dicit aliquis, eum dolori non succumbentem, Stoici male accipiebant? vel quia causas eorum morborum spectarent, vnius edacitatem, alterius etiam turpiorem intemperantiam: quo in utroque culpa aegrotantis agnoscitur: vel quia ne queri quidem eum de magnitudine doloris oportere dicerent: siquidem index molestiae querela est.

Edacitatis] Quae *δυσεντερίαν* gignit.

Turpioris intemperantiae] Veneris immodicae, quamquam *δυσεντερίαν* medici ad aliam causam referant.

Pertinueram] Alui enim profusum saepe exulceratio viscerum cum sanguine consequitur.

Loci mutatio] Tusc. 4. c. 35. Loci mutatione, tamquam aegroti non conualescentes, saepe curandus est.

Senescentis] Iam enim decem dies ex intestinis laborauerat. lib. 4. epist. 6. Hoc tam graui vulnere, etiam illa, quae consensisse videbantur, recrudescunt.

Remissio] In Bruto c. 34. Cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis.

Lex sumptuaria, quae videtur λιτότητα attulisse] Cum infra dicat: terra nata, quae lege excerpta sunt: significare videtur Liciniam legem, de qua Gellius lib. 2. c. 24. haec scripsit: Lex Licinia, cum certis diebus centenos aeris impendi permisisset, nuptiis ducentos induxisset, ceterisque diebus statuit aeris tricenos; cum et carnis aridae,

et salsamenti certa pondera in singulos dies constituerit; sed, quidquid esset natum e terra, vite, arboreque, promiscue atque indefinite largita est. Macrobius quoque lib. 2. Saturn. c. 13. eadem Licinia lege, quod ex terra, vite, arboreue natum esset, exceptum ostendit. Omnino post Liciniam et Sulla dictator sumptuariam legem, et Sulla mortuo, aliam Lepidus consul tulit, ut idem Gellius et Macrobius litteris mandarunt: sed in neutra nominari video terra nata. Cogitavi, num eadem sit lex, de qua lib. 9. epist. 15. *Domum si habebo, in decem dies, singulos sumptuariæ legis dies conferam.* Et epist. ult. eiusdem libri: *Epulamur una non modo non contra legem, si vlla nunc lex est, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto.* Sed opinari aliquis possit, diuersas esse leges, et hanc, ut dixi, Liciniam esse, illam verò Iuliam, a C. Caesare dictatore post bellum Africanum latam: de qua sic lib. 13. ad Attic. epist. 7. *Venisse a Caesare narrabat litteras; hoc scribere, sibi certum esse, Romae manere; causamque eam adscribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria.* Mihi tamen hoc argumentum non satis certum videtur. non enim ex iis verbis, a Caesare potius quam a quouis alio latam esse legem illam sumptuariam, licet conicere. Adde illud, quod Suetonius in Iulio c. 43. cum ait, *legem praecipue sumptuariam exercuit.* latorem eius legis Caesarem non ostendit, sed custodem et obseruatorem acerrimum. Nec vero eam legem praetermissuros fuisse Gellium et Macrobius, cum cete-

ras

ras omnes sumptuarias nominarent, verisimile est. Obiici tamen potest Dionis testimonium: cuius haec sunt lib. 43. *Τὰ ἀναλώματα τῶν τι ἐχόντων, ἐπὶ πλείστον ὑπ' ἀσώτίας ἐξηγμένα, ὅτι ἐν νόμῳ μόνον ἐμετρίασεν, ἀλλὰ τῷ ἔργῳ ἰσχυρῶς ἐν φυλακῇ ἐποίησαντο.* id est: *Sumptibus ditiorum, quos maxime luxu aucebat, non solum in lege modum statuit, sed re etiam observari vehementer voluit.* Quod ego sic interpretor: Caesarem veterem legem correxisse, non ipsum novam tulisse: aut, si tulit, observatam esse usque ad Augustum duntaxat; deinde exoleuisse, Augusto novam ferente, quam Gellius appellat: ideoque nec a Gellio, nec a Macrobio nominatam. Esto: tulerit sumptuariam legem dictator Caesar: tamen haec esse non potest: siquidem scriptam esse hanc epistolam aliquot annis ante civile bellum, perspicue demonstrat cooptatio Lentuli in augurum collegium. est enim hic Lentulus Lentuli Spintheris filius, qui consul filium creari augurem voluit, ut ait Dio lib. 39. idem colligitur ex orationis pro Sextio extrema parte. Nec vero me illa verba minimum movent: Neque iis, qui mea operam volebant, me probarem non valere. Suam enim operam Cicero post civile bellum in forensibus causis vel nemini, vel certe paucissimis praebeuit. huc spectat illud lib. 4. epist. 3. *Tantum dicam, quod te spero approbaturum, me postea quam illi arti, cui studueram, nihil esse loci, neque in curia, neque in foro, viderim, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse.* Et epist. 6. eiusdem libri: *Nihil in foro agere li-*

bebat. Et lib. 9. epist. 18. *Sublatis iudiciis, amissa regno forensi, ludum quasi habere coeperim.* Et in eadem paullo post: *Ipse melior fia: primum valetudine, quam, intermissis exercitationibus, amiseram: deinde ipsa illa, si qua fuit in me, facilius orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset.* Et epist. 20. eiusdem libri vitam suam ita describit, ut, nihil se temporis dare iudiciis et foro, non obscure significet. Praeterea libri eius tam multi de philosophia post oppressam rempublicam scripti, satis indicare videntur, agendis eum causis impeditum non fuisse. Quod vero dictum est a me, fieri posse, ut paucis quibusdam Cicero suam operam in foro nauaverit; ideo dictum, quia in epist. 24. video P. Sextium ab eo defensum esse. quod etiam lib. 13. ad Attic. epist. 49. scriptum est. nam Ligarii et Deiotari causam non in foro, sed intra priuatos parietes ad vnum Caesarem egit.

[Λιτότητα] Frugalitatem.

[*Ea mihi fraudi fuit*] Ea, videtur abundare, nec tamen abundat. valet enim ad indicandum: ut lib. 13. epist. 28. *Illud, quod supra scripsi, id in me recipio.* Idem obseruauimus in Tusc. 1. et lib. 2. de Nat. deor.

[*Fraudi fuit*] Non decepit me: sed, mihi nocuit. nam fraudem pro poena et damno veteres interdum usurpabant, Vlpiano teste: quod Ciceronis etiam declaratur exemplis. lib. 5. ad Attic. epist. vlt. *Fit gratia Bruti senatus consultum, et neue Salaminis, neue qui eis dedisset, fraudi esset.* Et lib. 7. ad eundem epist. vlt. *Ego me ducem*
in

in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negauit esse: non quin relictum esset; sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Et Phil. 5. c. 12. *Censeo, ut iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante Kal. Febr. ab eo discesserint.*

Terra nata] Vt herbas, fungos, similia. nam aues, pisces, quadrupedes, terra ipsa non nascuntur, sed generantur.

Heluellas] Holera minuta: vt ait Festi mutilator Paullus.

Cena augurali] Augures, sacerdotium incuntes, collegis cenam dabant lautam in primis atque opiparam. Varro lib. 3. de re rust. c. 6. *Primus pauones augurali cena posuisse dicitur Q. Hortensius.* Eadem *adiicialis cena* vocabatur. nam Plinius lib. 10. c. 20. *pauonem*, ait, *cibi gratia Romae primus occidit orator Hortensius adiiciali cena sacerdotii.*

Apud Lentulum] Corneliae gentis patriciae, eius Lentuli filium, ad quem scribuntur epistolae lib. 1. is adoptione transiit in gentem Manliam, vt augur fieri posset. verabat enim lex duos eiusdem gentis augures fieri. et erat eo tempore, cum auguratum petiit hic Lentulus, augur Faustus Cornelius, Sullae dictatoris filius. itaque facta legi fraus est. Dio lib. 39.

Διζύσιον] Profluuium alui.

Muraenis] Murena duplex est, marina, et fluuiatilis: marina, sine pinnis, paruis branchiis, vt ait Theophrastus, serpens, non natans, extra minutis distincta maculis, intra aristis valde obsita, ore, vt anguillae, in summo rostro, veterum expetita mensis: quod genus et C.

Caesar triumphalibus cenis dedit, vt ait Varro lib. 3. de re rust. c. 17. eumque secuti Plinius lib. 9. c. 55. et Macrobius lib. 2. Saturn. c. 11. et Cicero videtur hic murenam, vt suauissimum piscem, nominare. Fennestella etiam primum in mensa locum murenis tribuit. *Tripatinum*, inquit, *appellabatur summa cenarum lautitia. una erat murenarum, altera lupo: unum, tertia myxonis.* Nobis molestiam affert aristarum multitudo: veteres autem callebant aristas detrahendi: quod vocabant *exoffare*. vnde Plautus in Amphitr. Act. 1. Sc. 1. v. 163.

Mirum ni hic me quasi muraenam exoffare cogit.

Arcessiebantur ad Romanas piscinas ab usque freto Siculo, quod ibi essent omnium optimae. Graece *πλωται*, Latine *flutae* appellatae; quod in summo supernantes, vt ait Macrobius, torrefactae sole, curvare se et in aquam mergere non possent. recitat idem Macrobius ex libro Varronis, qui inscribitur Galus, qui hodie non exstat, haec verba: *in Sicilia quoque manu capi murenas flutas, quod haec in summa aqua praepinguitudine fluitent.* Exeunt interdum in sicum, vt tuto fetus edant: coire eas cum viperis, vulgo creditum est: sed Aristoteles, et Andreas, ab Athenaeo nominatus, hanc opinionem confutarunt. Fluuiatilem a marina Dorion apud Athenaeum distinguit: ait enim, vnam dumtaxat ei spinam esse. quo signo, et praeterea versibus Aufonii infra scriptis Edyl. 9. 106. seqq. adducor, vt eam existimem esse, quae *lampreda* dicitur, *mustela* etiam a veteribus nuncupata.

Quae.